



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

234. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

114 REGINONIS LIB. I.  
sollicitudinem sumentes. Decrevit itaque sanctum Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, non monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis secularibus se miscere, præter ecclesiasticarum rerum sollicitudinem.

De eadem re. *Ex Concilio Meldensi*  
*cap. XLIX.*

Concil. Meld.  
c. 49.  
Burchard. lib.  
2. c. 146.  
2. Tim. 2.  
\* *Apud Sirmondum:*  
aliorum. Sic  
etiam in vet.  
cod. nostro.

CCXXXII. Ut nemo laicorum Presbyteros Ecclesiarum suarum turpi villicationi & secundum Apostolum, seculari & inhonesta negotiationi implicare nec secum \* alios contra auctoritatem ducere præsumat, quò ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quòd si contra interdicta præsumperit, excommunicetur.

De his qui per pecunias fuerint ordinati.  
*Ex canone Apostolorum.*

Canon. Apostolor. c. 30.

CCXXXIII. Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiciatur ipse & ordinator ejus & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus à Petro.

De eadem re. *Ex Concilio Chalcedonensi.*

Concil. Chalcedon. c. 2.  
Burchard. lib.  
1. c. 112.

CCXXXIV. Si quis Episcopus per pecunias fecerit ordinationem & sub pretio redegerit Spiritus sancti gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum aut Presbyterum aut Diaconem, proprii gradus periculo subjacebit. & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione proficiat, sed

DE ECCLES. DISCIPLINIS. II,  
alienus sit à dignitate. Si quis verò mediator  
datis vel acceptis extiterit, si Clericus fuerit,  
proprio gradu decidat; si monachus aut laicus,  
anathematizetur.

De eadem re. *Ex epistola Gelasij Papa.*

CCXXXV. Quos constiterit indignos  
meritis sacramentos esse pretio dignita-  
tem, convictos oportet arceri: quia dantem  
pariter accipientemque damnatio Simonis,  
quam sacra lectio testatur, involvit.

Decreta Gela-  
sij c. 24.  
Burchard. lib.  
I. c. 22.

De eadem re. *Ex epistola Hormisdæ Papa.*

CCXXXVI. Hoc itaque ad priora con-  
jungimus, ne benedictio per impositionem  
manus, quæ à Deo esse creditur, pretio com-  
paretur: quia Simon Spiritum sanctum volens  
redemptione mercari, Apostoli fuit detesta-  
tione percussus.

Burchard. lib.  
I. c. 23.

Act. 8.

De eadem re. *Ex Concilio Nannetensi.*

CCXXXVII. Omnibus ministris ec-  
clesiasticæ dignitatis interdicens ut nullus  
quocunque munere aut favore corruptus Cle-  
ricum alterius parochiæ latenter ac furtivè  
ad ordinationem subintroducere præsumat.  
Quòd si fecerit, juxta Chalcedonense decre-  
tum is qui ordinatus est donum sancti Spiri-  
tus, quod furari conatus est, amittat; & qui  
mediator extitit, si Clericus est, proprio gra-  
du decidat; si laicus aut monachus, anathe-  
matizetur.

Concil. Nan-  
net. c. 7.  
Burchard. lib.  
I. c. 106.